

/ Eruditissime Domine. De conversione tua ad catholicam fidem magna cum animi mei voluptate litteras accepi ab Ill/ma congregatione sanctissimae crucis. Quam voluptatem non parum auxit epistola tua, eo praesertim nomine quod te narrante didicerim Davidem Pareum
5 aliud molientem viam aperuisse conversioni tuae. Ita nimirum sapientia Dei capit et confundit sapientes in astutia ipsorum. Sed illud molestissime fero, quod etiam si velim, non possim satisfacere desiderio tuo; quod enim scripsi Praefecto Congregationis sanctae crucis, et quod scribi curavi Patribus Jesuitis, idem tibi significare cogor, repugnare legibus et consuetudini Collegii Germanici ad-
10 missionem eorum qui in adulta aetate haeresibus implicati fuerint. Neque mihi, qui Protector Collegii sum et habeo Romae collegas duos Ill/mos et R/mos Cardinales, licet infringere leges Collegii aut procurare ut infrangentur. Sed non deerit Dominus, qui te vocavit
15 ad Ecclesiam suam, excitare in ista nobilissima civitate homines qui tui curam gerant. Opto tibi perseverantem in sancta fide et charitate voluntatem, meque precibus tuis ex animo commendo. Datum Romae die 25 Junii 1615.